

Turcas planè imperfectum, imò ferè nullum est. Nam ut Augerii Busbequii verbis utamur: (d) *Nullam temporum aut ætatum rationem habent, mirequè historias omnes miscent & confundunt. Cum in mentem veniet, non verebuntur affirmare, Regis Salomonis magistrum curiæ fuisse Jobum, ejus exercitus præfectum Alexandrum M. aut his etiam absurdiora.* Adferuntur ibi varia exempla & longè plura obveniunt in Alcorano, (e) quæ in medium adferremus, nisi periculum esset, ne quorundam lien, & aliorum bilis moveretur. (f)

Progredimur ergò potius ad ansulas manusque Philosophiæ, Disciplinas videlicet, ut vocantur, Instrumentales, Grammaticam, Rhetoricam & Logicam, quas in Turciâ Studiosis proponi, non ita diu est, quod testimonio fide dignissimo comprobavimus. Mirum igitur, cum Turcis Logicam evolvere integrum sit, quod Muhamedes usum Logicæ, qui in Disputando potissimum se exerit, à suis voluerit alienum. Vix enim quicquam in Alcorano frequentius inhibetur (g) inprimis lepida prorsus lex illa est: *Si quis disputare voluerit, jube, ut verbis parcat, usque ad extremi judicii diem, in quo DEUS*

DISCIPLI-
NÆ IN-
STRUMENTALES.

B 3

omnes

(d) de Reb. Turc. Epist. 1. p. 68. (e) Hottinger. Hist. Eccles. N. T. Seculo VII. Sect. 2. p. 404. sequentia errorum Historico-Chronologicorum specimina adducit: *Mariam DElparam, Aaronis Sacerdotis esse sororem; vitulum Aaronis conflatum esse à quodam Samaritano; Mosi & Josephi Pharaõnem esse eundem; Hamanem coævum fuisse Mosi, similiterque Eliam & Josuam &c.* (f) Inter alia evolvantur in Alcorano L. 1. c. 1. 5. 13. (g) Vid. in Alc. L. 2. c. 3. 4. 12.